



1. Anton J. Pauli, *Veritas Christianae Religionis*, Halle, 1718.
2. ———— *Diff. de Insigni Harmonia Fidei quae iustificat, et Fidei, quatenus iustificare dicitur*, Halle, 1723.
3. Barth J. Joh. Henr. *Diff. de Coeta in theologia Ignorantia*, Argentorati, 1717.
4. Baumgarthen J. Sigism. Jac. *Diff. de Limitibus in concilianda Rationi Doctrina revelata observandis*, Halle 1751.

DE
TEMPERAMENTIS
SCRIPTORUM
NOVI TESTAMENTI
DISSERTATIO POSTERIOR,

QVAM
 SVPREMI NVMINIS AVXILIO
 ET
 AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
 CONSENSV

IN ALMA PHILYREA
 DIE XX. MAJI A. O. R. MDCCXIII.

H. L. Q. C.
 PRAESIDE

FRID. QVIRINO GREGORIO,

PHIL. MAG. ET ADS. THOMAE CONCIONAT.
 SABBATHICO,
 DEFENDENDAM IN SE SVSCIPIET
 RESPONDENS

CHRISTIANVS AVGVSTVS SCVTZ,
 GRIMMENSIS MISNICVS S. TH. CVLTOR.

LIPSIAE,
 LITERIS ANDREAE MARTINI SCHEDII.



STANFORD UNIVERSITY

LIBRARY

TESTAMENT

OF

THE

REVEREND

FATHER

AND

DEAR

CHILDREN

OF

THE

CONGREGATION

OF

STANFORD

UNIVERSITY

LIBRARY

STANFORD UNIVERSITY

LIBRARY

STANFORD UNIVERSITY

LIBRARY





— שח — שח —

PROOEMIUM.

Tela incepta tandem aliquando pertexenda est, variisque impedimentis, quae remoram hucusque injecerunt, sublatis, id quod adhuc de Temperamentis Scriptorum N. T. considerandum restat, promissi memor B. C. D. ad finem deducere paro: Atque eo lubentius ad hoc ipsum negotium accedo, quo major fuit Virorum quorundam Doctissimorum in me propensa voluntas, qui Dissertationem priorem non penitus sibi displicuisse testati sunt. Hisce quidem annumerare non licet nonnullos Medicos recentiores, qui aliis doctrinae varietate solidaque rerum Physicarum scientia se Orbi literato commendant; novarum autem veritatum inquirendarum nimio fortassis studio abrepti, cuncta Eruditorum de Temperamentis cogitata pro vanis somniis reputare non erubescunt: Verum cum nec omnia antiqua falsitatem, nec omnia nova veritatem, indiuulso nexu sibi iunctam habeant comitem, hinc istorum vestigiis insistere non placet, qui auide quoduis arripunt, velleam ob causam, quia novum est. Tum ergo demum via ab aliis trita relinquenda, quando ad erro-

roris

roris praecipitium incautos homines ducit, aut per mille anfractus circumuagatur, ubi viae compendio factio opinione citius ad regiam veritatis sedem peruenire poterimus. Neutrum vero iis, qui iucundum iter de Temperamentis et nostris et ea antecedentibus temporibus emensi sunt, iure imputari posse certo certius mihi persuasum habeo: Equidem obuertitur, omnem operam hac in re praestitam prorsus esse superuacaneam, cum nullus evidens ostendi queat nexus inter certam sanguinis dispositionem certamque mentis nostrae commotionem ex ista dispositione oriundam, e.g. sanguis cuiusdam hominis quamplurimis repletus est particulis sulphureis, ergo est ambitiosus et acuto pollet iudicio. At hic varia responderi posse nemo non facile videt: Primo enim indignum videtur esse Physico, ob ignoratum intimiorem rei modum statim rem ipsam negare velle; magnes trahit ferrum, quaero causam, alius aliam adfert, nunquam intellectus ita convincitur, ut nexum inter attractionem ferri & magnetem se clarissime concipere fateri necesse habeat, attamen propositio omni dubio caret: Magnes trahit ferrum. Video homines innumeros in uno aliquo tertio consentientes, inuestigo huius conuenientiae commune principium, cognosco in illis sanguinem eundem habere motum, in Cholericis nimirum concitatum, in Sanguineis moderatum, in Melancholicis tarde fluentem formo exinde conclusionem generalem: Ergo sanguis certae hominum classi communis mentes eorum propter arctissimam unionem ad actiones eiusdem generis disponit. Inquiro ulterius in modum, qua ratione ex celeri motu sanguinis in mente acquiratur magnum iudicii acumen, aut in non emendatis vana ista super omnes se effereudi libido,
ira

ir aque positos iustitiae cancellos rumpens; Respondetur quoad prius, sanguinem eiusmodi igneis particulis abundantem, non posse non subtilissimos fabricare spiritus, quibus eo felicius anima in peragendis suis actionibus ceu instrumentis uti potest, quo magis ac crassa corporum mole recedunt, quemadmodum, si rem presentem simili quodam illustrare concessum est, longe facilius calamum temperare possum, adbibito subtili scalpro librario, quam praegrandi fabri lignarii securi; quoad posterius negari nequit ambitionem et iram affectus esse concitatisimos, quanquam propterea non prorsus ad eorum accedam sententiam, qui Cholericum & ambitiosum pro Synonymis habent, nam Cholericum temperamentum etiam in conuersione remanere, ambitionem non item iam in superiori Dissertatione fuit ostensum, rectius itaque Cholericus per feruidum, German. hitzig / feurig / utpote motum in se indifferenter explicari poterit. Quid ad hasce iam iam allatas rationes Temperamentorum hostes? Meras esse infirmas probationes aiunt, non omni exceptione maiores. Nolo hic prolixius deducere, id enim ab instituto alienum, multos in ostendendis infirmitatibus, admodum infirmis uti ratiocinationibus, verum hoc saltem scire cupio, an propterea, quia coniecturae modo, ut in Physicis fieri solet, afferuntur, quomodo sanguis hunc vel alium excitet affectum, an, inquam, propterea rite concludere possim, ergo sanguis in hocce affectu excitando tanquam causa aliqua plane non concurrat, ergo nullum datur temperamentum? Substituatur itaque aliud quodpiam magis certum principium. En adest! Mechanismus. Quid audio? Anne ad Mechanismum sanguis cum maxime pertinet? Qui igitur Mechanismum pro causa actionum nostrarum agnoscit,

sanguinem quomodo excludere possit, nondum video. At Mechanismus forte in certa tantum solidarum partium figura atque textura consistit? Neque sic repugnabo, sed in isto, qua ergo ratione ex varietate eiusmodi texturae varii in anima nostra deprehenduntur motus, quis est nexus inter istum Mechanismum et subsequentes animi affectus? Tacent, ubi cum maxime loquendum erat et qui alios exagitant, quod caularum suarum cum effectibus nullum evidentem ostendere possint nexum, immemores plane sunt illius dicti: Turpe est Censori cum culpa redarguit ipsum. Quare malui sententiam Eruditorum suffragio comprobatam verique magnam habentem similitudinem amplecti, quam hypobelsin eligere & novitatis suspectam et nil minus, quam certi quid hac in re determinantem. Interea quemlibet suo sensu facile abundare patiar, neque studio ad docendum adductus haec in medium attuli, sed ut Apologiam quandam pro hocce qualicunque conamine scriberem, ad quod mente nunc magis tranquilla me accessum parare posse mihi videor. Superfunt autem adhuc ex numero Scriptorum *Σακκίους* Petrus, Iacobus et Iudas, de quibus eodem ordine, qua in Dissertatione priori actum fuit, ulterius iam agere placet, nimirum paucis recensetur vita Scriptoris, deinde ex signis tam proximis, quam remotis coniecturae afferentur de eisdem Temperamento atque sic, quale genus dicendi exinde fluxerit, indicabitur.

S. I.



PETRVS Iohannis filius, cognomento Simon, Syriace Cephas, quod nullo modo *ἀπέ-
τερος* *Πέτρος*, quasi Caput reliquorum Apo-
stolorum fuisset, deducendum cum Ana-
cleto pontifice in epistola Decretali, quae ta-
men iam pridem Viris doctis non tam ab
Anacleto, quam potius ab imperito quodam Monacho,
scripta fuisse visusuit; *sed quem nos Latine et Graeco petram
vocamus, hunc Ebraei et Syri propter linguae inter se viciniam
cepham nuncupant*, quae verba sunt **HIERONYMI**; frater An-
dreae Apostoli, ortus in vico Bethsaida, quae est iuxta sta-
gnum Genezaeth, ab optimo Magistro, dum rei piscato-
riae operam daret vocatus statim relicta uxore bonisque su-
is iussui diuino obsequium praestitit, et etiam postea Prae-
ceptorum suo fideliter adhaesit, eundemque, nec sub initium
passionis acerbissimae reliquit, quanquam ibi tandem incon-
stantiae suae ab ipso largissimis lacrimis deploratae exem-
plum dedit, ob quam inconstantiam quoque post Christi
resurrectionem inter eum atque Paulum magnae exortae sunt
contentiones, usque dum a Spiritu Dei magis magisque ob-
firmatus Ecclesiam Christo in his terris colligendam, tum
ore, tum calamo, conscriptis duabus Epistolis informavit,
tandemque senex una cum Paulo Romae ultimo supplicio
affectus crucique affixus capite, vti nonnulli putant, ad terram
verso, animam exhalasse legitur.

PETRVS.

Hieron. Libr.
I. in Epist. ad
Gal. C. II.

S. II.

Huius ergo Apostoli vitae cursum paulo attentius confide-
rantes videmus, ipsum praeter alios Discipulis, quemadmodum
in priori **Dissertatione** Johannes, Magistrum suum, *magno a-
more prosequutum fuisse*, qui affectus honesti amoris in se spe-
ctatus, cum omnium sit moderatissimus moderatum quoque
sanguinis motum ei iunctum esse a Physicis statuitur. Petrus
autem Christo amore sincerissimo adhaesisse omnes fere **Histo-
riarum Evangelicarum** loquuntur paginae; unde et a Salvato-

re in secretis istud collegium fuit assumtus, & cum Iohanne ac Iacobo peculiaribus quibusdam actibus interfuit, utpote resurrectioni filiae Iairi, Christi glorificationi et agoni, ex quibus patet, Dominum amore suo singulari ipsum dignum iudicasse, quod adeo insigne praebet argumentum, in Petro se quoque maximum sui amatorem invenisse. Ex eodem Petri amore provenit immaturum Christo suppeditatum consilium, ut sibi a passionibus parceret; idem amor Iesum patientem in palatium Caiphae cum Iohanne comitatus est; idem quoque amor gladium e vagina in horto Gethsemane eduxit, pugnamque cum Malcho iniit, quamvis ista actio, nec non alia huiusmodi opera ab ipso patrata haud difficulter alicui persuadere possunt, sanguinem eius particulis aqueis potissimum abundantem, proximo gradu permistum fuisse cholera, hinc et disertis verbis *Ἐξουός* illi tribuit CHRYSOSTOMVS. Illam tamen audaciam minime principem apud eum locum obtinuisse, aut pro affectu primario habendum esse patet ex eiusdem metu sanguineis prae Cholericis proprio, nam in his sanguis effervescens saepissime id inculcat: Aut vincere, aut mori! contra ea vero Sanguinei alios haud vulgariter et per consequens se ipsos cum maxime amantes ea summa cura ac circumspectione evitare solent, quae ad corpus affligendum aliquid afferre posse videntur. Quare etiam Petrus licet amor eum impelleret, ut Christo in vendis ambulanti obviam iret, qui sane magnus erat affectus illius gradus, attamen cum ventum frementem persentisceret, *metus* subsequens statim ostendebat, tantam ei non inesse confidentiam, quantam quidem primo intuitu quis putaverit: Gladio Christum contra Malchum defendere parabat, *metus* tamen postea, ut cum alijs fugam arriperet, auctor exitit: comitabatur Dominum in palatium Caiphae, sed metu adductus eum quoque ter abnegate non dubitabat. Et licet post resurrectionem Christi novum amoris sui specimen eaderet Christo quaerenti: Simon Iona, amasne me plus quam hos? respondens: Domine, tu omnia nosti, tu nosti, quod

amen

Chrysostomus
Homil. 32. in
Iohann.

Matth. XIV, 28
seqq.

Job. XXI, 17.

anem te, ex metu tamen ortum suum ducebat hypocritica illa actio, propter quam a Paulo publice fuit reprehensus. Sunt quidem ex Pontificiis nonnulli, qui factum hoc non tam metui, sed potius insigni prudentiae originem debere audacter propugnant; sed quomodo ille prudenter egisse dicendus erit, qui *ἐν φόβῳ ποδῶν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τῆς εὐαγγελίας*, eamque ob causam *κατήγνωσμένον* fit? Hinc rectius Doctissimus BASNAGIUS sex Petri peccata in hoc vnico factio enumerat. Neque cum HIERONYMO dicendum, pugnam hanc tantum simulatam fuisse, idque Paulum fecisse, non tam vt Petrum argueret, quam vt hi, quorum causa Petrus simulaverat, corrigerentur, quanquam HIERONYMVS sibi ipsi non satis constans alio in loco contrarium defendit, et quid etiam relinquatur simulationi, vbi quis alteri *κατὰ πρόσωπον* resistit? Cum HARDVINO autem alium quendam Cepham hic comminisci velle nimis coactum est, Hieronymus vero, ex quo aliisque Patribus sententiam suam vetustiore facere cupit, sententias aliorum saltem refert, easdemque postea ipsemet refutat. Sed adhaerere etiam extra metum sanguineis solet magna animi inconstantia, ex qua deinde fluit superficialia rei praesentis cognitio et perpetua ad novitates inhians cupiditas, quae vtplurimum *Curiositatis* nomine insignitur. Etiam illa in Petro nostro deprehenditur, dum enim Salvator adhuc in terris existeret ei non solum prae aliis discipulis *varias proponere solebat quaestiones*, sed et nuntio accepto de resurrectione Christi statim cum Johanne, cui idem erat temperamentum, *ad monumentum accurrunt*: vbi simul *ὡς ἐν παρόδῳ* notanda diversitas temperamentum Iohannis a temperamento Petri. Iohannis nempe sanguis tam multas particulas igneas, quam Petri sanguis, non habuit, hinc et amor eius purior, qui et propterea Christo magis adhuc placuit, quam Petrus, utpote quem sinu suo vti Johannem fouisse nusquam legimus, et quod ad praesens attinet factum, cursu suo Petrum quidem antevertit, monumentum tamen non ingreditur, Petrus autem vi mixturae suae audacior, etiam ingreditur, *etiam ingref. Job. XX, 1. sqq.* *scien-*

Gal. II. 1. 1. sqq.
Baron. ad A. C.
5 r. n. 39. et n.
42.

Basnag. ad
ann. 50. N. 13.
Hieron. L. I. in
Epist. ad Gal.
II.

In. L. I. Dial.
aduersus Pelag.

Harduinus in
pecul. hac de
re Dissertat.

Matth. XXVI, *sciendi esse cupidissimum*, quemadmodum et alibi de ipso legimus, quod Christum in passione *finem spectaturus* fuerit secutus.

§. III.

Niceph. H. E. L. II. c. 37. apud Cav. de Vita Petri C. X. §. I. Galen. L. II. de Temperament. C. 5. Turneb. in Libr. de vino p. 27.

Externa corporis forma a NICEPHORO descripta etiam cum dictis antea allatis bene conuenit, et si vera HIERONYMVS EX CLEMENTIS a periodis narraret, maius adhuc robur sententiae iamiam propositae accederet. Scilicet scribit ille Vir Beatus Petrum caluitiem habuisse in capite: iam vero notum est ex Physicis, ad generandos crines interno quodam calore opus esse, hinc esse TURNEBO Iuuentus in locis vitiferis propter ardorem vini maturius genas lanugine opacat, quam alibi, et adhuc hodie Iudaeorum barba ut plurimum promissa inde provenire dicitur, quod temperamenti maximam partem sint Cholericis-Melancholicis: si ergo, quorum sanguis particulis igneis non abundat, facilius sibi caluitiem, annis praesertim auctis contrahere poterunt. Quoniam sanguineis etiam ob abundantiam particularum aquarum plures inesse solent humores quam aliis, quidni et huc referri poterit phrasis illa, qua nobis Petrus poenitens ut *πικρὸς κλάσιν* describitur. Hoc quidem a nemine Christianorum defendi debet, lacrymas illas merum opus naturae fuisse, neutiquam! erat haec in Petro poenitentia Diuina, ab ipso Spiritu Sancto verbum Christi memoria elapsum suggerente, excitata, hoc tamen salva *ἀσθονία* doceri poterit, Spiritum DEI, si in homine non flumina, sed riuulos saltem lacrymarum invenerit, alium enim prae alio copiosiores effundere posse lacrymas ipsa loquitur experientia, non per miraculum novos lacrymarum fontes creare, sed praesentibus omnino contentum esse; in Petro autem cum propter temperamentum vastae conspicerentur lacus, hinc eo facilius manus Diuina piscinam illam mouere morbidumque peccatorem, vulnere perferiam contritionem a purulentis fecibus purgato, gratiae emplastro plenius curare potuit. Circa tempus martyrii, quo Petrus vitam finierit, non quidem penitus consentiunt Scriptores Ecclesiastici, id tamen certo ex iisdem discere possumus, Petrum

Matth. XXVI,
75.

trum ad aetatem fati *profectam* ascendisse. Vir doctissimus GUILIELMVS CAVEVS ex principiis Chronologicis ostendit, circa annum Christi LXV. supplicio capitali Apostolum nostrum affectum fuisse, vnde numerum septuagenarium annis suis vel transcendisse, vel proxime attigisse recte statuitur, sanguineos autem vt plurimum esse longaeuos exemplo Johannis in priori Dissertatione satis fuit comprobatum. Quibus accedit familiaris cum *Johanne Sanguineo conuersatio*, nec non quam matrimonii foedere sibi iunctam esse voluit *uxor*, expresse enim in Scripturis ei socrus tribuitur, et quae alia sunt argumenta a D. D. MAYERO collecta, quae satis superque eundem coniugatum fuisse demonstrat.

Cave I. c. C.
Kl. §. 7.

§. 19.

Matth. VIII,
14.
Mayer in Dis-
sert. de Petri
Coniugio Wit-
teb. 1684. ha-
bita.

§. IV.

Quale in Apostolo nostro dicendi genus inde subsequutum fuerit, paucis adhuc dispiciendum restat. Ante omnia tenendum, vtramque epistolam Petrum Auctorem agnoscere, licet enim iam olim in primitiua Ecclesia non defuerint, qui Canonicam eius auctoritatem impugnarent, vnde et in Syriaca versione antiqua non legitur, et sequentem in modum de eadem scribit EVSEBIUS: *τὴν Φεγομένην (πέτρα) δευτέραν ἐν ἐν-
διάθην μὲν εἶναι παρελήφαμεν ὁμοῦς δὲ πολλοῖς χηρήσιμος
Φανείσαι μεταξὺ τῶν ἄλλων ἐσπυδάθη γεαφῶν.* Licet etiam ex recentioribus eandem sententiam amplexi fuerint JOSEPHVS SCALIGER et HVGGO GROTIUS, quem posteriores tamen adhuc excusat HAMMONDVS, ideo, quod eius annotationes in S. Codicem fuerint posthumae, opus enim si ab ipso Auctore denovo revisum esset longe limatius publicam lucem ad specturum fuisse, rectius tamen contrarium in omnibus fere Ecclesiis hodie defenditur. Nam vtrumque nomen et Simonis et Petri statim in initio hujus epistolae apparet; mentio iniicitur transfigurationis, quae Christo Petro praesente aliquando obigit; vocatur clarissimis verbis *δευτέρα ἐπιστολή*, et quae alias ab aduersariis opponi solent argumenta, non adeo magno gaudent robore. Nam quod ad *discrepantiam styli*, quam hic potissimum virgere solent, attinet, non adeo multum a priori ab-

Euseb. H. E. L.
III. c. 3.

Scalig. in Scali-
gerian. apud It-
tig. H. E. Sec.
I. C. VII. §. 6.
Grotius ad 20
Petri. I. Ham-
mond. in ar-
gum. epist.

Conf. Millium
in Proleg. n.
129.
Cap. I. 17. 18.
C. III. 1.

ludit,

Hieron. Epist.
ad Hedib.
Quæst. XI.

ludit, hincque non opus est, vt cum HIERONYMO diuersis Interpretibus S. Apostolum in distandis epistolis vsum fuisse existimemus, nam hac ratione non singula verba Petrum agnoscerent auctorem, quod tamen statuere velle periculosum est; sed potius vel materiae diuersitati, vel etiam ipsi temperamento adscribenda, cum enim ex antea dictis pateat sanguineos adeo constantes in actionibus suis non esse, quidni nonnunquam hoc ipsi quoque stylo obtingere affirmabimus, praesertim cum idem iam in Iohanne sanguineos videamus, cuius Epistolae non solum inter se, sed et ab Apocalypsi quoad genus dicendi aliquantulum differunt? Neque hoc pro vitio sermonis habendum, quis enim quaeso e. g. Henrico Mollero vitio vertet, quod in libro, cui titulus est: *Himmliſcher Liebes Ruſſ*, prorsus alio dicendi genere uratur, quam quidem in Explicatione Evangeliorum, vel in libello quem vocat: *Geiſtliche Erquick. Sünden*, sane hoc libertari humanae relictum est, phrasibus uti quibuscunque placuerit absque omni vitio morali, si modo caetera iuste se habeant. Si ea quoque Sanguineorum esse solet in-

vid. D. D. Stahl-
lii Physiol. Sect.
I. Membr. IV.
Artic. III. p. 67.

2. Petr. I.

doles, iuxta sententiam quorundam Physicorum, vt de futuris, aut impendentibus quibuscunq; impedimentis et difficultatibus, ne quidem facile cogitent, nedum sint solliciti, ratio quaedam videtur reddi posse, cur Deus huius Apostoli calamo cum primis aduersus empaectas et homines nimis secrete viuentes uti voluerit, ipsi enim propria experientia edocto nimiam confidentiam mala maxima post se trahere eo facilius assensum homo naturalis praebere poterit, praesertim quoniam euncta amore sincero miscet ad exemplar Iohannis titulum *ἀγαπᾶν* saepiuscule ingeminans, neque tanta animi commotione, qua quidem Paulum in simili negotio usum fuisse legimus, rem totam ediferens. Succinctum vero et breuem sermonem Sanguineis perquam familiarem esse et prior dissertatio et Apostoli nostri exemplum satis edocet.

S. V.

JACOBUS.

Pergendum sic ad JACOBVM, filium Alphaei, non Zebedaeidem, vti versio Arabicaet Syriaca ex editione Widmanstadii

manstadii legunt, quod tamen additamentum a Londinensibus fuit omissum, et quidem iure, ille enim Jacobus Maior longe ante gladio ab Herode erat occisus, ac licet hic Estius excipiat, intercessisse decem annos plus minus inter mortem Christi et martyrium huius Jacobi, intra quod tempus scribi potuerit epistola ad fratres post Stephani mortem dispersa; materia tamen scripti, quod de moribus potius, quam fide agit, adeoque tum, quando doctrinae fidei abusus inualuit, exaratum est, obflare videtur; neque etiam cum GROTIO, BLONDELLO, OSIANDRO, HAMMONDO, HENSCHENIO, aliisque tertius quidam Iacobus, frater Domini, et Episcopus Hierosolymitanus, cognomento iustus & Oblis siue Obliam h. e. munimentum populi vocatus, hic fingendus est, nam eius rei argumenta sufficientia neque ex antiquitate, neque ex Scriptura proferri possunt, cum tamen Lucas tam insignis Viri procul dubio in Actibus Apostolicis mentionem iniecesset, quin potius ex verbis Pauli contrarium patet, quando ad Galatas scribens Jacobum fratrem Domini numero Apostolorum includit, eiusdemque Episcopatum specialem prolixius refutat *ψευδονυμ* WALO MESSALINVS siue GLAUDI vs SALMASIVS: Apostoli enim non certae alicuius vrbis Episcopi, sed totius orbis Doctores fuerunt, et quanquam propter circumstantias quasdam diutius in hoc vel illo loco degerent, pro Episcopis tamen aequivoce saltem sic dictis habendi sunt; ut nihil nunc addam de testimonio CLEMENTIS ALEXANDRINI apud EVSEBIUM duos tantum Iacobos nominantis: fuit ergo Jacobus noster Alphaei filius, frater Domini, nec non Apostoli Judae germanus, aetatis suae cum altero Jacobo comparatione dictus *μικρός* siue minor, virtutum fama ac excellentia vna cum Petro et Johanne nuncupatus *κύλος*, munus suum in praedicando Euangelio summa cura administravit, eoque ipso hostium iras adversus se excitavit, qui etiam dum Christum negare nollet fustionis fuste caput ejus comminuerunt. Posteaquam enim praecipuus templi pinnaculo fuit deiectus in genus procumbens pro his ipsis, a quibus praecipitatus fuerat DEVM precatus est his verbis: Dimitte illis, quia nesciunt

Ac. XII, 2.

Grot. in Annot. ad C. l. 1, Blond. in Pseudo-Isidor. p. 30 Osiand. in H. E. Sec. I. L. II. c. 33. Hammon. in Dissert. de Jure Episcopar. Hensch. in Act. Sanct. ad d. I. Maji. Galat. I, 19. Walo. Messalde Episc. et Presbyt. p. 201.

Clem. Alex. Hypotyp. L. 7. ap. Euf. H. E. L. II. c. 1.

Marc. XV, 40. Gal. II, 9.

Epiphanius in
haeresi Antidi-
co-marianita-
rum quae est
78.
Ioseph. An-
tiqu. Jud. L.
XX.c. 8.

quod faciunt; verum neque eius, neque cognati Simeonis preces tantum apud Adversarios efficere potuerunt, quo minus ipsum e medio tollerent. Obiit anno aetatis suae XCVI. teste EPIPHANIO, qui haec procul dubio ex fragmento quodam Egesippi affert; si autem ex partibus JOSEPHI standum, Pontifex quidem Ananus post Festi mortem, antequam eius Successor adueniret, concilio conuocato Jacobum aliosque, ac si contra legem egissent, lapidandos tradidit. Vbi simul notandum, falsum esse, quando non solum Veteris Ecclesiae Patres nonnulli, sed et hodie Viri docti passim Iosephum causam excidii Hierosolymitani huius Jacobi supplicio imputasse scribunt, siquidem Iosephus nihil aliud dicit, quam omnes bonos hanc mortem aegre tulisse, ita namque ait: ὄσοι δὲ ἰδοῦσιν ἐπιεικέστατοι τῶν κατὰ τὴν πόλιν εἶναι καὶ περὶ τῆς νόμου ἀνεπίσευστος βαρβαρῶς ἠνεγκαν ἐπὶ τῷ τῷ.

§. VI.

Hieron. in Catal. Scriptorum Ecclesiast.

2. Cor. XV, 7.

Si vera HIERONYMVS ex Euangelio Nazaraeorum ab ipso in Graecum et Latinum idioma translato commemorat, hic quoque Apostolus Saluatorem nostrum defunctum *maximo complexus est amore*, ita enim eius verba se habent: *Furauerat Jacobus, se non comesturum panem ab ille hora, qua biberat calicem Domini, donec videret cum resurgentem a mortuis. Rursusque post paululum: Afferte, ait Dominus, mensam et panem, statimque addidit, tulit panem et benedixit ac fregit et dedit Jacobo fusto et dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis a dormientibus.* Licet autem vel maxime ista relatio non sit omni exceptione maior, ex ipsis tamen Scripturis cognoscimus, Christum resurgentem Jacobo apparuisse, quem Jacobum minorem fuisse vnanimis ostendit Interpretum consensus, ex hac ergo singulari apparitione Jesum *amorem* eius eximum remunerari voluisse satis probabiliter defenditur. Obiici quidem hic posset vitae genus Apostoli aliquantulum durius, namque vinum et siceram non bibisse, nullam carnem comedisse, nec vnguento vinctum, nec balneo vsus fuisse, vestibus non

non laneis sed lineis amictum incessisse legimus, flexisque genibus in tantum pro populo deprecatum esse, vt camelorum duritiam et callum obduxisset genua eius crederentur; iam vero de sanguineis constat, ipsos tam seueriori vitae haud facile assuaueri posse, quin potius cupediis lauteque viuendi rationi, si modo fieri possit, admodum esse deditos. Verum quid non Diuina in conuertendo homine se exserens virtus efficere potest? Ea Salomonem cogitantem: Totum me laetitia tradam opibusque concessis hilari mente vtar, docet; Ecce etiam hoc vanitas est! Quid? quod ex superioribus iam constet. Cholericum et ambitiosum, sanguineum et voluptuosum non esse Synonyma, haec enim vitia temperamentis illis tantum vt accidentia, quae separari possunt, adhaerent, cum e contrario sanguinis cursus vel concitatus vel moderatus modo dictis temperamentis sit essentialis, ac immutabilis. Neque istud dissimulandum, esse Viros rerum Criticarum admodum peritos, vt pote JOSEPHVM SCALIGERVM, DIONYSIVM PETAVIVM, ELIAM DUPINIVM aliosque qui vel totam historiam confictam esse statuunt, vel saltem plura praeter rei veritatem eidem addita.

§. VII.

Pertinet huc quoque ea, quae inter ipsum atque Simonem Petrum intercessit maxima familiaritas, hinc quoque Petrus vinculis suis liberatus statim hoc Jacobo annunciari iussit, et Paulus Jacobum, Cepham et Johannem, qui omnes secundum superius allata sanguineis erant, coniungit, eosdemque in Iudaea ad praedicandum Euangelium relinquit; ipse autem diuersi temperamenti vna cum Barnaba ad Gentes iter parat, Sanguis praeterea eiusdem optime fluxilis vias habuit parulas atque liberrimas, pulsuque moderato effecit, vt omnia facile, quemadmodum apud sanguineos fieri solet, et commode procederent, hinc etiam ad summam senectutem peruenit annumque aetatis, vti ex testimonio Epiphani in antecedentibus allegato patet, XCVI. attigit, quod coniecturis huius

Hieron. l. c.

Eccles. II, r.

Scil. Animadv
in Euseb. num.
MMLXXVII.
Petau. in not.
ad haeres. 78.
Epiphani. N.
XIII. Du Pin.
Biblioth. Aur.
Ecclesiast. T. I
p. m. 86. sub
lit. F.
Aa. XII, 17.
Gal. II, 9.

§. V. sub Ca.

Petr. de Nat. L.
L. IV. C. 108.

Vauass. in pecul.
Tract. de forma Christi.

Rigalt. in Dissert. de pulchrit. Christi.
D. D. Fechtius in pecul. Dissert. de forma faciei Christi.
Phil. II, 7.

1. Cor. IX. 5.

Hieron. Lib. I. aduersus Iovin. Epiphani. Haer. ref. 78.

D. Schmid, in

bur non contemnendum addere videtur, et maior adhuc accederet rei praesentis confirmatio, si vera esset, quae PETRVS DE NATALIBVS de Jacobo refert, eum, inquit, ideo fratrem Domini dictum fuisse, quod *forma corporis*, lineamentis atque moribus Christo fuerit quam simillius, atque inde plurimos hac sua specie Christo non dissimili sefellerit, praecipue vero (quod ex Hieronymo probare nititur) illos, qui ad Christum capiendum exiissent; hinc, quanquam a Juda proditore, qui eos probe discernere potuerit, Saluator osculi signum accepisset, nihilominus fugientibus reliquis Apostolis, milites Jacobum Domini vice tenuisse, neque prius dimisisse, quam Christus dixerit: Si me quaeritis, hos dimittite, tum enim relicta sindone nudum autugisse. Haec si ita se haberent, quoad *formam externam* quam optime ad classem sanguineorum referri posset, hi enim propter iustam sanguinis *ἐκπαύλαν* prae aliis gaudent faciei formositate, quam rectius cum FRANCISCO VAVASSORE de Filio DEI, qui sane optimi fuit temperamenti praedicare, ac indecoram deformitatem cum quibusdam Patribus eidem assignare licet, quanquam propterea sententiam RIGALTI meam facere nolim, qui mira pulchritudine Jesum nostrum omnes alios homines superasse existimat, quem hac in re etiam inter Nostrates sequitur quidam Magni Nominis Theologus, quemadmodum autem via media semper tutissima, ita et hic Apostolum tutissime sequeris, christum *ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων καὶ ἡμῶν ἐσθὲν ὡς ἀνθρώπων* praedicantem. His denique accensendus est *status* Apostoli coniugalis, a sanguineo citius, quam Cholrico aut Melancholico eligendus, quem Paulus verbis sacis claris adstruit, inquit: *μηδὲ ἔχομεν ἐξ ἑστῶν ἀδελφῶν γυνῆνα περιάγειν ὡς οἱ ἀδελφοὶ τῶν κυρίων*; negant quidem Jacobum vnquam vxorem duxisse HIERONYMVS ex Egessippi sublestae fidei fragmento, nec non EPIPHANVS, cuius verba tam evidentia sunt, vt causam nullam videam, cur summe Reuerend, D. D. SCHMIDIVS Helmstadiensis Baronium virgula

virgula censoria notare voluerit, non enim Cardinalis respicit ad Haeresin XXX, vti Vir doctus autumat, sed ad Haeresin LXXVIII. vbi sub n. XIII, haec leguntur: *Θιάκωτ' ὁ ἀδελφὸς τῆς κρείστος ἐννήκοντα ἐξ ἑτῶν τελευτᾷ ΠΑΡΘΕΝΟΣ ΓΕΓΟΝΩΣ*, verum amicus Hieronymus, amicus Epiphanius, magis tamen amica caelestis Veritas, cui tamdiu inhaerendum, quousque ab aduersa parte argumenta afferentur solidiora.

§. VIII.

Epistolam, quam in nostris Codicibus hodie legimus, Apostolo Jacobo denegarunt non solum in antiqua Ecclesia nonnulli, verum etiam nostris temporibus aliquot Viri docti superius §. V. citati, quibus adhuc addere licet ipsum B. nostrum LUTHERVM, qui in praefatione posteriori in hanc epistolam eam nullius Apostoli esse dicit, in priori autem de anno 1528. plane illam stramineam vocat, quo nomine ipsum Pontificii passim exagitant, at vir divinus id extra omne praedudicium se statuere dicit, neminique credendum obrudir, verba autem duriora in *συγκρίσει* cum Euangelio Johannis et epistolis Paulinis sunt accipienda, interea hodie singularem illam Lutheri sententiam non amplectimur, nam licet sub initium reformationis non pauci nostratium Theologorum, utpote BVGENHAGIVS, FLACIVS, VITVS THODORVS nec non Centuriatores Magdeburgenses aliique eidem subscripserint, rectius tamen ii faciunt, qui eundem aliquid humani hic passum esse candide profitentur. Maneat ergo illaesa Diuina atque Canonica huius Epistolae auctoritas, quae potissimum Sectae Simonianorum opposita esse videtur, de qua ita IRENAEVS: *Horum Mystici Sacerdotes libidinose quidem viuunt, magias autem perficiunt, quemadmodum potest vnusquisque ipsorum. Quamquam igitur isti Simoniani Haeretici erant flagitiosissimi, moderate tamen mores ipsorum Apostolus perstringit, nec tam vehementi et concitato animi affectu, ac quidem Paulus in Corinthios, inuehitur: Et notatu dignum est, DEVM OPT. MAX. temporibus N. T. morum vt appareat doctrinam per homines potiss.*

Differt. de Apostolis vxoratis §. 7. p. 60.

Euseb. L. II, H. E. c. 23, Hieron. Catal. Scriptor. Eccles.

Bugenh. ad Rom. IV. et Jon. III. Flacius in Glossa Theod. in summar. Cent. Magdeburg. Cent. I. L. 2. c. 54. Iren. L. I. c. 20.

tissimum temperamenti sanguinei, qualis Johannem, Petrum et Jacobum fuisse per coniecturas non plane nullas vidimus, Ecclesiae suae tradere voluisse. Anne huc quoque referenda sunt similia frequentus ab Apostolo nostro, quam ab aliis, usurpata, siquidem vel in solo Cap. III. septem eorum inuenimus? Hoc a plerisque defenditur, sanguineos facultate imaginandi cum maxime pollere, nam *cerebrum illorum*, cum MALEBRANCHIO loquor, ipsius verba ad Subjectum vitio carens applicando, *vestigia excipit alii sima rerum, quae sunt imaginati, haec vestigia ut plurimum non sine magna Spirituum commotione imprimuntur, ista autem Spirituum commotio ad id totum corpus disponit, ut mentis cogitationes possit viuide exprimere, cum itaque oris habitus, vocis inflexio orationisque concinnitas (ad quam cum primis similia pertinent) vim verbis addat, auditorum (et lectorum) animos sibi conciliant.* Et post pauca: *Qui igitur imaginatione pollent, hoc coeteris praestant, quod arrideant, moueant, persuadeant, quia nempe cogitationum suarum imagines sibi formant per quam viuidas et sensibiles.* Neutiquam tamen hoc eo extendendum, ac si Scriptor Θεόπνευτος tantum ista similia ex phantasia sua per vires naturae produxerit, sicque per virtutes ingenii sui hominibus persuaserit, sed DEVS, actu Θεόπνευσίας mentem Apostoli imaginibus repletam intuitus eas sacris vsibus destinauit iisdemque simul virtutem suam diuinam in couincendis hominum animis addidit, ita ut ingenio Apostoli, tanquam instrumento hic nihil relictum sit, ἔτε γὰρ ὁ Φυτῆριον ἐστὶ τι, ἔτε ὁ ποτίζων, ἀλλ' ὁ αὐξάνων Θεός. Quanquam cum eo, cui haec forte offensionem esse possint, acrius contendere nolim, qui potius omnes chartas meas ipse igne cremandas afferre paratus sum, si iure ex illis hoc possit elici Scriptura S. non est Θεόπνευτος.

§. IX.

IVDAS.

Agmen denique claudat IVDAS, non iste sceleratus IESU Christi proditor, quem Melancholicum fuisse tam insatiabile Φιλαργυρίας vitium, quam funestus vitae exitus satis superque

Malebranch.
de inqu. verit.
L. II. C. I. n. VI.

1. Cor. III. 7.

Θεόπνευσίας

ἔτε γὰρ ὁ
Φυτῆριον ἐστὶ
τι, ἔτε ὁ ποτίζων,
ἀλλ' ὁ αὐξάνων
Θεός.

Scriptura S. non est Θεόπνευτος.

perque comprobant, sed frater Jacobi, cognomento Lebbaeus, HIERONYMVS corculum interpretatur, ARETINVS a leonina animi constantia deducit, ארינון enim leonem significat, alii aliter explicant, vocatur etiam Thaddaeus, תדאיון quod confessorum notat, hic et voce et scriptis regnum Christi ampliare studuit, nam quod HVGGO GROTIVS annotat, ac si non Judas Apostolus huius epistolae auctor sit, sed Judas alius, Episcopus decimus quintus Hierosolymitanus, qui temporibus Adriani paulo ante Barchocebam vixerit, omni destituitur fundamento, meritoque ob id tum a D. CALOVIO, tum a SIMONIO taxatur, nam quod Judas non addiderit vocem Αποστολος, hoc scilicet Grotius potissimum obiicit, id non magis dubiam reddit praesentem epistolam, quam eam quae a S. Paulo Philippensibus, atque Philemoni scripta est. Per Judaeam et Galilaeam iter faciens Samaritiam, Idumeam, Arabiam tandemque Syriam et Mesopotamiam peragravit, et teste NICEPHORO placida morte obdormiuit, quanquam alias constans sit Ecclesiae Latinae sententia, Judam nostrum in Persiam iter fecisse, ibidemque, cum Magorum superstitiones publice redarguisset, Martyrio vitam suam finivisse.

Hieron. Comment. in Matt. C.X.

Aret. in Luc. C.VI.

Grot. in Comment. ad Jud. v. 1.

Calov. in Bibl. Illustr. ad h. l. Simon. in Critic. N.T. c. 17.

Niceph. H. E. l. II. c. II.

§. X.

Quoniam hoc de Juda nihil fere in sacris literis invenimus, nisi unicam illam, quam Christo proposuit, quaestionem: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis te ipsum et non mundo? hinc nemo moleste feret, si et coniecturae de eodem in medium prolatae pauciores fuerint. Temperamenti eiusdem cum Jacobo fuisse suadet arctissimum, quod inter ipsos intercessit, *cognitionis vinculum*, erat namque frater Jacobi, uti de se ipso sub initium Epistolae scribit. GROTIUS quidem suspicatur, verba illa esse ὑποβολιμαία et a Scribis addita; sed quis non videt hoc a Viro Doctissimo cum modo in finem propugnari, quo sic eo melius hypothesein suam, quod scilicet haec epistola ab Apostolo scripta

Joh. XIV, 22.

Grot. l. c.

NOB

non sit, defendere queat: at istud non est nodum soluere, sed rumpere, nullis enim solidis argumentis euinci potest; textum hic corruptum esse, siquidem Codices non tantum Graeci, verum etiam Versiones omnes hic ex asse conspirant. Et si vel maxime locus hic *voθείας* accusandus esset, quomodo verba Nazarethanorum explicabimus dicentium: Nonne hic est fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria et fratres eius Iacobus et Ioseph et Simon et Iudas?

Matth. XIII, 55

Quae enim ad hunc locum Vir eximie doctus annotat, non video, quae ratione cum eius sententia conciliari possint, ita scilicet ibidem scribit: *Quod si Maria est mater Iacobi et Ioseph erit sane et Simonis et Iudae, eius nempe, qui in epistola se fratrem Iacobi nominat, qui que in Apostolorum recensu cum eodem Iuda par unum facit.* Hinc etiam caula reddi potest, cur LVCAS

e. VI, 16. et A. 6.

1. 13.

2. Sam. XXI,

19.

1. Paral. XX, 5.

Judam nostrum nominet *Ἰσδαὺ τὰ καὶ βε*, nam omissa est per elipsin vox *αδελφός*, quemadmodum a Ibi Elhanan percussisse dicitur *הַיְהוּדָה בְּרֵית הַיְהוּדָה* quae elipsis una cum nomine proprio in loco parallelo ita suppletur: *הַיְהוּדָה בְּרֵית הַיְהוּדָה* Quemadmodum vero Fratres ex uno sanguine orti, unius Matris sanguine nutriti, eodem aere ipsos ambiente in lucem editi victuque eodem usi sunt, ita quoque temperamenti ut plurimum eiusdem esse solent, et si quae nunquam inter illos exoriuntur lites, id non tam diversitati temperamentorum, quam philautiae inordinatae, vel aliis quibuscunque causis adscribendum erit; aut si etiam sanguinis constitutione prorsus inter se differant, quod aliquando evenire posse non negaverim, praesertim si Parentes diuersi fuerint temperamenti, neuter tamen alterum diutius prope se ferre poterit, quod exemplo Iacobi atque Esaui constat, de Iuda autem neque ex Scripturis neque ex Historiarum monumentis simile quid ostendi posse confido.

S. XI.

Cor. IX, 5.

Judam numero Apostolorum, qui in coniugio vixerunt, optimo iure ob testimonium Paulinum accensere licebit, idque

que ulterius confirmat secundum Egesippi fragmentum EVSEBIO citatum, in quo sequentia leguntur: *ἔτι δὲ περὶ τῶν οἰ ἀπὸ γένους τῆς αὐτῆς οἰωνοῖς ἰδα* &c. Excipit quidem hic NATALIS ALEXANDER: *Judam conjugem habuisse non sequitur ex eo, quod nepotum ipsius meminere* Eusebius, cum vero nullum sententiae suae protulerit fundamentum, tam diu fragmentum istud ut verum Apostolique verbis admodum conveniens assumendum erit, usque dum contrarium pluribus fuerit evictum. *Senectutem* quoque annosam Apostolum nostrum adeptum fuisse inde patet, quoniam epistola ejus Scriptorum Apostolicorum fere ultima esse videtur, nam quae BOLDV. Bolduc. praec. CIVS defendit, ac si Judae epistola ante omnes alias Apostolorum epistolas, excepta Jacobi, scripta fuerit, id cum ipsis verbis scriptoris Θεοπνεύστου non adeo bene convenit, quae enim S. Petrus de falsis doctoribus praedixerat, *ἔσονται*, inquit, *ψευδοδιδασκαλοὶ, οἵτινες παρεσάξουσιν αἰρέσεις ἀπωλείας*, &c. eius vaticinii complementum, indicat Judas verbis sequentibus, *παρεσέδουσάν τινες ἄνθρωποι οἱ πάλαι προγεγενημένοι*, et paucis deinde interjectis verba, quae pridem ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi dicta fuerint, lectoribus suis de novo inculcat.

§. XII.

Canonica huius quoque Epistolae auctoritas a quibusdam in dubium fuit vocata, ita enim de ea HIERONYMVS. Hieron. Catal. Scrip. Eccles. *Quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur*, postea tamen addit: *Autoritatem vetustate iam et usu meruit, et inter Sanctas Scripturas computatur*. Contradictum olim huic epistolae fuisse testatur etiam EVSEBIUS unde eo facilius B. LVTHERVVS, Centuriatores Magdeburgenses, et si qui alii e nostris inveniuntur ipsi consentientes, excusari poterunt. Argumenta autem, quae ejus auctoritati fuere opposita non adeo magno robore gaudent, nam si propterea est rejicienda, quod scripti cuiusdam apocryphi mentionem injicit, ipsius quoque Pauli scripta in dis-

D

crimen

Euseb. L. III. c.
20.
Nat. Alex. H
E. Sec. I. c. 8. II.
12.

Bolduc. praec.
Ind. p. 106. ad
calcem. Libr.
de Eccl. post
leg.

2. Petr. II, 1,
v. 4.

v. 17.

Hieron. Catal.
Scrip. Eccles.

Euseb. H. E. VI.
12.

Luth. in praef.
ad hanc Epist.
Cent. Magdeb.
Cent. I. c.

crimen venient, qui in epistolis suis Poetarum Gentilium testimonia ad confirmandam doctrinam suam argumento usus κατ' ἀποδείξιν adducere non dubitavit. Porro si ideo ὁδοῦται, quod pauci Veterum eius meminerint, quam causam EVSEBIVS adfert; magnus numerus ex ipsis Veteris Ecclesiae Doctoribus produci potest, qui eam pro Canonica receperint, fieri etiam potuit, ut multi ex Patribus, qui aliquid literis consignarunt, hanc epistolam vel non intellexerint, vel obiter tantum legerint, vel, cum brevis sit, occasionem nullam citandi habuerint, vel eam non viderint, quia enim non toti alicui Ecclesiae est inscripta, notitia eiusdem non statim ad singulos fideles pervenit; vel denique de ea visa adhuc nimis scrupulose dubitaverint. Quod Judas praeterea ad testimonium aliorum Apostolorum provocat, autoritati eius nihil derogat, sed hoc tantum inde probatur, eum suam epistolam post epistolas demum Petrinas atque Paulinas consignasse, nisi alias ipsum Petrum ad epistolas Paulinas provocantem de Apostolatus sede disturbare velimus. Quod denique idem Sacer Scriptor exemplis et propemodum verbis iisdem ac Petrus usus sit, id non evincit, alium ex alio exscripsisse, sed placet hic iudicium ἀκριβέστερον CALOVII: Neutrum, ait, accurate loquenda dicendum, sive quod Petrus & Judas, sive quod Judas e Petro suam desumpsit, cum uterque θεόπνευστος fuerit, vel Divina inspiratione scripserit, unde rectius dicitur, eadem vel pene eadem utriusque inspirasse sanctum DEI Spiritum, quemadmodum id de sancta Evangelistarum quadriga constat. Nempe cum Spiritus Dei simile in utroque inveniatur temperamentum, illud non evertere, sed potius ad usum Ecclesiae suae convertere voluit, unde postea convenientia illa styli forte provenit, quemadmodum concinnam brevitatem crebraque similia eidem temperamento sanctificato adscribi posse iam in superioribus fuit declaratum.

§. XIII.

Habet hic B. L. quae de Temperamentis Scriptorum N. Fru.

vid. Calou.
Bibl. Illustr. ad
Iud. v. 1. p. 1689

3. Petr. III, 15.
16.

Calou. l. c.

T. rudi licet penicille adumbrata adhuc expectare poteras, tuum nunc est adamusim verbi divini cuncta exigere, πάντα δοκμάξεν. τὸ δὲ καλὸν κατέχεν. Nosti iam quo affectu mentisque habitu, ad cuiusvis Scriptoris lectionem te accedere oporteat, quae potissima huius opusculi consiciendi fuit occasio; nosti causas styli eorum nonnunquam inter se discrepantis; nosti responsiones ad varias Aduersariorum exceptiones, quae Apostolorum auctoritati, conuersioni, ordini in scribendo aliisque circumstantiis alias opponi solent; nosti etiam succinctam tum auctorum, tum Scriptorum notitiam: Sed videris mihi nondum hisce contentus esse, pleniorumque adhuc huius qualiscunque scripti vsuum desiderare. Accipias ergo velim fronte serena has exiguas lineas instar prodromi, quem propediem, si DEVS vitam et vires concesserit, labor Theologicus subsequetur, vsuum huius Thematis in Theologia declarans. Si autem inuenieris, quae piis animabus iustae offensionis esse possint (quod tamen vix putauerim). scorias istas reicece, DEVS veniam eorum, quae a me inscio pariter ac inuito commissa fuerunt, propter Christum benignissime concessit, tu ergo, qui infirmæ hominum sorti non eximendus es, noli propterea rigidum te mihi exhibere iudicem, nisi Canonem ab ipsa conscientia formatum et ab optimo Praeceptore repetitum impugnare tecum statueris: Omnia quaecunque vultis, vt faciant vobis homines, et vos facite illis. Si quid tandem boni ab hisce cogitatis fuerit effectum, id omne Tibi, o bone DEVS, consecratum esto, non enim sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est, quare non nobis, Domine, non nobis, sed nomini Tuo da gloriam!

τῷ Θεῷ μόνῃ δοξα.

✠ o ✠

99 A 6910

ULB Halle 3
002 710 579




sb.


VD77

Retto

Mi. 68.







20
20a

DE
TEMPERAMENTIS
SCRIPTORUM
NOVI TESTAMENTI
DISSERTATIO POSTERIOR,

QVAM
SVPREMI NVMINIS AVXILIO
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
CONSENSV
IN ALMA PHILYREA
DIE XX. MAJI A. O. R. MDCCXIII.
H. L. Q. C.
PRAESIDE

FRID. QVIRINO GREGORIO,
PHIL. MAG. ET ADS. THOMAE CONCIONAT.
SABBATHICO,
DEFENDENDAM IN SE SVSCIPIET
RESPONDENS
CHRISTIANVS AVGVSTVS SCVTZ,
GRIMMENSIS MISNICVS S. TH. CVLTOR.

LIPSIÆ,
LITERIS ANDREAE MARTINI SCHEDII.

